MORES ANTIQVOS

XXVI. PHILOSOPHIAE CANDIDATIS

QVI MAGISTRI CREANTVR

RECTORE MAGNIFICO

IOHANNE HENRICO WINKLERO

VTRIVSQVE LINGVAE PROF. PVBL. ORDIN

PROCANCELLARIO SPLENDIDISSIMO

AVGVSTO FRIDERICO MVLLERO

PHILOS. ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE

ORGANI ARISTOTELICI PROFESSORE PVBL

ET MINORIS PRINCIPVM COLLEGII

COLLEGIATO

CARMINE SOLEMNI COMMENDAT

DECANVS HOC TEMPORE

IOH. FRIDER. CHRISTIVS P. P

P. XXV. FEBR. A. C. N. CIↃIↃCCXXXXV

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA







Frigida qua terris propiorem pendet in axem,
Sublimem que polum geminas plaga tollit ad arctos,
Indomitis animis et pectoris horrida crudi
Gens olim duro venatu vixit et armis.
At noſtros proauos, dapibus dum pauit inemtis
Plenae corbis olus, vel rarae coena ferinae,
Felices nimium reddebat talis egeſtas.
Diues homo eſt, cuicunque ſat eſt quod poſſidet vſus,
Quod nullo ſimplex latrat natura paratu,
Illa hodie paruo contenta, incauta futuri.
Sed ſimul inuaſit rerum ſitis, omnia diſcors
Gloria, et immodicis gaudens inſania poſcit,
Quorum ſemiferam beat ignoratio vitam.

Sic illi paruo tutantes cum lare fundum,
Et validam matrem pendentis ab vbere nati,
Horriſono moris patrii dictata boatu

Cantabant, non vincta modis, non ſcripta papyro.
Vinaque dum laeti miſcerent cornibus horna,
Trans mare ridebant aduecta Alpesque niuoſas.
Siue opus, e caſtris hoſtem virtute ſuperbum,
Seu male pacatam depreſſo vomere terram,
Siue feram in ſaltu ſaeuis agitare ſagittis;
Hae fuerant artes, aetas hoc omnis agebat.
Victus opum rudibus curae minus ac minus artis,
Sed plus ingenuae ſic libertatis habebat.
    Dixeris incultos. At flammeus ardor in illis
Lumine non nullo mentes ad vera regebat.
At morum feritas, conſtricta cupidine paruo,
Diuinae legis cognata animantibus orſa,
Ac tenuem pingui retulit ratione figuram,
Non argutando euerſam dictisque ſophorum.
    Non immanis eis natura, ſed vtilis aptis
Hoſpitiis, gaudens iungendae pignore dextrae,
Atque domi mitis, ni magna iniuria promptos
Iraſci in caedem ſociorum et ad arma vocaret.
Tum vero in rebus conſtantia mira gerendis,
Inuia non decori via cum ſudore parando,
Nil trepidum fuit. in bello lex vna valebat,
Propoſiti ſeruare locum, vitaque paciſci.

Haec

Haec inter probitas, et rixas inter et arma
Clara fides, et vultus eis liberrimus index,
Simplicitas quaecunque animi taciturna tegebat.

Cur hodie noſtris non idem ciuibus ardor,
Non ea membra, nec illa ingens in corporibus vis;
Non illae facies, non caeſia lumina fronti;
Non vndans rutilis coma circum tempora cirris?
Vrbibus an noſtris tantum confluxit Iberi
Sicut Aremorici generis, ſeu, ſi quid Hetruſcus
Vexit, et Auſonii iunctis communiter armis?
Sanguinis an flumen quoque mos mutabilis aufert,
Corporibusque ſuas carnes, mutatque colorem?
His etenim ſignis pubes Germanica quondam
Vna omnis ſpecioſa fuit laudataque vulgo.
Iudice ſed viſu praeſens ea non habet aetas.
Siue parum refert haec extra abſterſa, quid intra
Fiet, vbi haud mores placitos maioribus audent
Artibus et cultu fracti ſeruare minores?
Namque aliis olim felix Germana iuuentus
Viſa fuit, non quae Gallos imitatur et ore,
Et braccis, at quae magnam virtute parentem.

Nunc huius trutinae mentes examine penſa,
Si pariter magno laudem liceantur in auſu?

 Si

VI

Si fatis in trepidis adſit conſtantia rebus?
Si teneat ratio priui ſecura pericli?
Horum tiro memor campos amet atque labores,
Ac minima vitam toleret mercede decoram,
Si modo libertas, et fas, et iura relicta?
Sed nunc deliciis fas cedit et omnia cedunt.
Anxia Fortunae numen dum pectora quaerunt,
Vt ſibi fluxa parent periturae praemia vitae,
Viuendi cauſſas ius perdunt atque decorem.
Si ſupereſt palmam voto qui ſpectet inani,
Hic fortaſſe, breuem ſtadiis vbi mouit arenam,
Deficiat prima, nec ſperata rude, pugna.
Praeſertim proaui qua ſola ſidera adibant,
Simplicitas germana, et apertus candor in ore
Non odium ſocio, non occultantis amorem,
Exulat e vita mutato more recenti.
Quid, quod et hinc fictus corrupit pectora vultus,
Atque fides animi finibus depulſa premendo
Rara nimis cultu ac vitio non ſimplice facta eſt?
Sed, velut antiqui, falſis vbi vera notabant
Sic ſub imaginibus, vt iuſtum ſidera vellent
Foedato tenuiſſe ſolo, nos illa parentum
Iam decora Erigones addemus protinus aſtro.

Haec

Haec tamen vnde lues inuasit pectora gentis
Naturaeque probae fregit bona? Non ea cultus,
Non id Graiorum sapientia, siue palaestra,
Nec dulces id litterulae, fidibus ue canoris
Excita mens, motusue pedum, vel cantica habebant,
Vt rapere ex animo possent meliora sua vi.
Quippe viri fortes multi sunt rebus in illis.
Sed solida vt coeunt male inanibus, aspera rectis:
Sic sibi post duros repetentes mollia victus,
Stabant insolitis decepti rebus, et vsque
Sueta relinquebant errore incognita eodem.
Terra animos populo diuisit cuilibet aptos,
Et varias luto finxit deus auctor in artes.
Pectora tecta Libys celer insidiosaque nactus,
Et vigil, et metuens, alienis inuidet astris,
Quod simplex probitas lento est permissa Batauo.

Vertere naturam quod si radicitus omnem,
Et cautos cupias, quos caelum fecit apertos,
Quos tardos, agiles, faciles madidosque, seueros:
Ne rectis labem, quae tentat praua, voluntas
Inferat, est ratio. nam quidquid more vetusto
Sancitum eripies, rerum sine vulnere nunquam
Sustuleris: fit saepe error tolerabilis vsu.

Est

Eſt, ne vana pares, vitae noua iura rogando,
Quae ſcopulis vt aquae, ſolido pugnante, reſultent,
Aut velut adfuſo vinum vertantur aceto.

At bona res artes et cautio, quando doloſis
Hoſtibus illati gradimur. bello ne negemus
Rem ratione geri, non viribus: an bona dictu
Omnibus in vita quacunque tenenda putemus?
Simplicibus vero praeclarum eſt addere acetum,
Si ratio purum ſubeat modo pectus et aptum:
Sin fermenta prius, mox artes: ſin homo technas
Libertate ſua vel vultu totus abhorret:
Cognata exturbes, adſcitaque commoda perdas.

Germana, ecce, ſuos habitus vocesque propago
Ad noua conuertit quondam: praecepta ſuorum
Spreuit: ab Eridano, ab Rhodano diuerſa petiuit.
Candor finitimos laudabitur aequus in omnes,
Qui vel in hoſte fero rectiſſima diligat, ac ſe
Inſtruat, vt praeda, meritis, imitatus, eorum,
Sed magis vt ſtatibus, tunicis, ſermone faceti
Simus, et vt bello vultu, dum Gallica diſcit
Cantica, dumque fides omnis pro more iuuentus;
Si qua ideo demat facies mutata, videbo.

Princi-

Principio ſic ingenuus, ſic multa locutus
Ore verecundo taciti, quod abeſt pudor, hinc eſt.
Quod mens tecta latet, quod amico, ſicut et hoſti
Praeſenti, vultus mendax componitur, hinc eſt.
Ecquis erit noſtrum ſic ruſticus, vt mala cordis,
Triſtitiam, curasque graues, et inutilis irae
Signa ferat carae rugoſa fronte maritae?
Attamen excedunt generoſi pectore ſenſus,
Paullatimque animus falſae tectoria cerae
Combibit e mimo verborum ac frontis honeſtae:
Saepeque ſi retulit forma mendace nitorem,
Naturae donum, probitas intercidit oris.
Hoc quoque qui pacto fucum iuuenesque ſenesque
Externis faciunt vulgo, faciuntque propinquis,
His vlcus, ſemel in fibras errore receptum,
Inſcite premitur, neque dat medicina ſalutem.
Nam ſua diſſimulator alit mala: quaerit apertus,
Dum neſcit celare, manus fomenta benignae.
Tum qualis foret haec noſtrae conſortio vitae
Vt nimium capti peruerſis moribus illis,
Sermone ac riſu ficti, ſpecieque doloſa,
Debita non ciui vera omnia, falſa feramus?
Hoc bellum crudele geri, quod ab omnibus omnes

Exſpectent, vt non homines decet, vt male perdit,
Quos deus aeterna pacis cum lege creauit!
Nam, niſi quod ſumma faciens ratione figurat,
Mendax omne nocet dictum, ac trahit indole falſi
Peſtiferum errorem proprii cum tabe veneni.
Tale malum pueris commendat ſaepe magiſter,
Temporibus quando apta loqui, moris que frequentem
Induxiſſe docet vultu factis que colorem.
Sic hominem captum res ducet: vita decora
Extra reddetur: mens incurata iacebit.
Vir melior teneros animos in vera vocaret;
Virtutum documenta daret, modice que ferendi
Aſpera menſuram. Rectae ſententia mentis
Vt primum nitet, vt primum ratione potente
Compoſitum eſt pectus, facies et verba ſequuntur.
Nunc pueri ruditas placitura eſt, dummodo aperta:
Mimicus aetati color eſt turpiſſimus omni.
Fabula ſub falſis vetus edat vera. Prometheus
Indiſcreta notis mortalia fecerat ora:
Quis bonus eſſet, an ille malus, tunc nemo videbat.
Saepe nigri fama dilatus candidus, albi
Ater erat, damno communi tectus vterque.
Poena ſequebatur meritos bene, praeda nocentes.

Sed

Sed deus id miſeratus, in os diſtincta colore;
Et noſcenda genis inſcripſit ſenſa bonorum.
Ille, verecundi generis rubor extima pingat,
Mens vbi conſiliis ſe mouerit intus honeſtis,
Pectoris haec puri ſit purpura, dixit: ab illo
Tempore fronte bonis pudor eſt: frons ferrea prauis.
Nunc tener hic noſtris naturae munere vultus,
Cui deus impreſſit meditantis honeſta colorem,
Ritibus externis male fingitur et parat artes.
Antiquo potius viuendum more docebant,
Quorum perpetuos ſequimur moresque librosque
Inprimis, ac rem validam legesque probamus.
Quin ideo, mihi lecta cohors, ornanda corollis,
Quas capit aeterna de lauro conſcia virtus,
Nos quoque laudamus ſequimurque antiqua nepotes.
Maiores noſtri, licet horum clara vetuſtas
Non illos fama rebusque minoribus aequet,
Et ritu quaedam bene ſint correcta recenti,
Optima multa tamen veraeque aptiſſima vitae
Non tabulis deſcripta dedere, at ſanguine et vſu.
Hunc vobis animum deus augeat, inque ſalutem
Vertere det, quidquid pulcro ſudore paratis,
Dum veri ſtadium curſu metimini honeſto.

Si pia ſunt, ſtudio nec inani capta, nec vllis
Inuidiae aut odii ſtimulis agitata, meorum
Ominibus veſtro coniungite pectora voto.
Sed pia ſunt, ſperamus enim, ſpondetque voluntas
Edita tot ſignis et amandae pignore Muſae,
Et quia non aliter dat numen dona petenti,
Nec vobis fas impura capere haec ſacra dextra.

At puris confiſa ſibi ſententia praeſit,
Illa preces dictet, Deus vt Germanica regna
Muniat imperiis iuſtis, legesque reducat,
Et pacem poſitis florentem fortiter armis.
Vt Regem nobis conſeruet, et ille ſalutem
Communis patriae, iuſto fundamen et aequo,
Curet, vt in praeſens magnis virtutibus, olim.
Vt ſpes certa domus exſtet ducis, illaque ramos
Diffundat natis et qui naſcentur ab illis.
Vt ne litterulae cedant hac vrbe, bonisque
Artibus et genio multorum exercita Pallas.
Moribus antiquis vt ſtet res noſtra virisque.
Haec rata det numen, caſta quae mente rogamus.

* * *

IOHAN-

IOHANNES GOTTHELF KVPFER

ZOPAVIA MISNICVS

Zopauia, quam Braunius in vrbium Theatro Scopam vocat, vulgo Tzschopau, vel Zschopau, in montanis Misniae vt paruum, ita vetus neque obscurum cum arce ad fluuium cognominem opidum est. Ibi natus patre Iohanne Christophoro, qui artem infectoris exercet, matre Maria Dorothea Kirchherria, in ludo litterario sub magistris Sigelio, Goetzio, Seidelio, Fleischero, profecit. Postea Fribergae in vrbe in Gymnasium instituendus receptus, praeceptores habuit Mollerum, Lutherum, Harzbachium, Beyerum, quorum omnium in se fidem ac voluntatem praedicat: sub eis sex annis se meruisse ait, beneficio praesertim ac benignitate adiutum Richteri, qui cursum publicum ibi praefectus curat. Lipsiam petiit a C. N. CIↃ IↃCC XXXXI, rectore Gottschedio ciuibus nostris adscriptus. Doctores inter nos philosophiae ac matheseos caussa sectatus est Vuinclerum, nunc rectorem magnificum, Hausenium, Vuolfium: in humanitatis litteris, me atque Ernestium: in omni historia, Ioecherum, cuius inprimis in se officia ac beneuolentiam laudat. Cum ad rerum diuinarum doctrinam se contulisset, dogmatum theologiae caussa audiuit Sanckium; in interpretandis oraculis, Vuollium; in morum e sacris disciplina atque in declamandi vsu, Tellerum, cuius liberali ex institutione fructum se vberem cepisse, et in societatem φιλολογούντων eo praeeunte cooptatum esse, memorat. Secundum quae ante hos duos annos prima philosophiae laurea ei ab ordine nostro more maiorum decreta est.

IOHANNES ANDREAS CRAMERVS

IOESTADIO MISNICVS

Ioestadium in montanis Misniae non procul Annaberga ad ortum hibernum distat. Ibi sacrorum curam oraculorum veritatis aeternae interpres gerebat pater Caspar Antonius, e Saxonibus Vuestfalis oriundus, cum ei hic filius nasceretur a C. N. CIↃ IↃCC XXIII. ex vxore Iohanna Sophia Coithia.

Prima eum litterarum rudimenta pater docuit, et qui loci natalis ludum litterarium regebat. Orbatus in ingressu aetatis primae parentibus, Cremae Misnicae in ludo principali mereri coepit sub magistris Ermelio, Schumachero, Parskio, Vlischio, Opitio, Hauptio. Lipsiam venit a C. N. cIↄ Iↄcc xxxxI, in catalogo nostrorum ciuium scriptus rectore Boernero. Doctoribus audiendis philosophiae, poeseos, antiquitatum sacrarum caussa, adfuit Gottschedio et Chladenio: historiae, aliarum litterarum, ac theologiae ergo, Ioechero, Ernestio, Boernero, Vuollio. Per colloquiorum academicam velitationem exercere ingenium instituit praeeuntibus rursus Vuollio, Gottschedio, Chladenio, Kaestnero: quibus omnibus eo nomine, et mihi, se obstrictum profitetur; inprimis autem Boernero: cuius etiam in domum erudiendorum filiorum caussa beneuolenter se receptum memorat. Exeunte anno cIↄIↄcc xxxxIII prima philosophiae laurea ex ordinis nostri decreto ornatus fuit, et stipendio Henriciano adiutus, Orationem publice memoriae Henrici, qui ei rei testamento prouiderat, celebrandae habuit: dissertationem etiam nuper a cathedra defendit, moderante Gellerto artium magistro, *de Poesi apologorum* conscriptam.

IOHANNES ADAMVS MVLLERVS

DRESDENSIS

Natus a. C. N. cIↄ Iↄcc xxII, patrem habet Iohannem Adamum, Iuris vtriusque Licentiatum et caussarum patronum Dresdae, matrem, Claram Dorotheam, Iohannis Georgii Schlimperti, pharmacopolae quondam Mühlbergensis, et Annae Barbarae Faustae, filiam, quae post mortem mariti nupsit Iohanni Adamo Bretschneider medicinae doctori, hereditario in Lomniz, cuius et matris in se educando curam magnopere laudat. Priuata institutione per aliquod tempus vsus est Schelleri theologiae studiosi, cuius ex doctrina multum fructum se cepisse ait. Deinceps Misenae in ludo ad diuam Afram principalis munificentiae alumnus est receptus, atque sex in eo annis meruit, sub magistris Grabenero, Hoecrio, Weissio, Kauderbachio et Klimmio, quorum institutionem fidelem

fidelem praedicat. Lipsiam venit anno CIↃ IↃCC XLII, ciuibus adscriptus Rectore Ioechero. In philosophia discenda audiuit Müllerum, patruum, cuius etiam hospitio fruitur: in theologia Boernerum, Tellerum, Hebenstreitium, Kieslingium, et Sankium. Prima philosophiae laurea haud ita pridem ab ordine nostro ornatus est.

IOHANNES FRIDERICVS KLETT
CVRIA BARVTHINVS

Curia in Nariscis, qua Franconibus accedunt, Baruthinae ditionis vrbs est. Ibi natus a C. N. CIↃ IↃCC XVIIII, patrem habuit Iacobum Adamum, ab actu rerum in eo conuentu, atque a rationibus vectigalium referendis Seren. Marchionis, ill. Hohenloici comitis a consiliis. Matre vsus est Margaretha Rosina, cuius pater Adamus Langheinrich tabulis decurionum publicis eius ciuitatis praefectus fuerat. Primis litterarum elementis in domo patris tinctus, et ad magistros ludi patriae litterarii adductus, Longolium, Buckam, Kappium, Ottonem, Voelkelium, eorum fide atque industria, quod gratus agnoscit, profectum fecit. Ad nos accessit a C. N. CIↃIↃCCXXXVII, censsus in Lipsiae litteratae ciuibus rectore Walthero. Humanitatis litterarum caussa, atque vt Latini sermonis facultatem sibi pararet, praelectionibus meis interfuit et Kappii, atque vt versus Theotisce faceret, Gottschedii. In omni philosophia discenda doctores habuit, Mullerum, Vuinclerum, Ludouicium: in iuris ciuilis prudentia, Riuinum, Kunholdum, ac rursus Mullerum, et Menkenium, et Ioachimium: in iure beneficiario, Bauerum, Sigelium, Mylium; in iure ac rebus regni Germanici cognoscendis, Ioecherum, Feustelium, Cramerum: in capitibus iuris terribilium, Hommelium: in sacrorum ac templorum iure rursus Menkenium et Schoenium. Illius quoque, et Ernestii ductu, super summis quibusdam doctrinae, colloquio academico velitatus est. Eorum omnium, et sigillatim Riuini, Kunholdi, Kappii, Mulleri et Menkenii, prolixam in se voluntatem ac fidem praedicat, cum contigerit, vt et mensae publicae conuictor aleretur, et nonnihil incrementi studiorum nomine Bauaricae nationis decreto impetraret. Id quoque beneficiis imputat, quod in domum viri illustris a

Brandeu-

Brandenſtein, cubiculi regii Comitis, Martisburgi receptus, ſtudia litterarum filii eius ornanda adiuuanda que vt curaret, operam locauit. Qua in procuratione huc reuerſus cum eo, Baccalaurei honorem ordinis noſtri decreto nuper tulit.

FRIDERICVS AVGVSTVS KVHL
ANNABVRGO SAXO

Annaburgum non procul Torgauia trans Albim Septentrionem verſus ſitum, olim Lochauiae nomine, et prope ſilua Lochana, ob cladem ante ducentos ferme annos acceptam claruit.. Ibi natus a C. N. CIↃ IↃCC XX, patre Iohanne Martino, qui ſymphoniacis praefectus inter ſacra cantor meruit, matre Anna Chriſtiana Iacobi, filia Balthaſari, qui ſacrorum curam gerebat ad vicum, cui nomen Albrechtshayn. Ab ineunte pueritia ſe deductum fuiſſe ait ad reuerendum virum Nicolaum Liebium, ſacris curandis interpretem praefectum in alio prope Lipſiam vico, cui vocabulum Seiffertshayn. Eum pro ſe recens nato ad ſacros lauacri fontes ſponſorem, mox nutritium effectum, adeo ſibi paternam exhibuiſſe beneuolentiam, vt et aleret liberaliter, et Graecis Latinisque litteris erudiret diligenter praeſentem, et poſtea litterarum cauſſa abſentem conſilio et copiis egregie adiuuaret. In ludum enim litterarium in hac vrbe ad aedem diui Thomae florentem a C. N. CIↃ IↃCC XXXII, fauore Geſneri, qui ei ludo tum praeerat, impenſae publicae alumnus receptus, ſub magiſtris Erneſtio, Kriegelio, Vuinclero meruit, et beneuolente inprimis atque in ſe benefico Erneſtio, quod gratus teſtatur, eſt vſus. Dimiſſus inde ad academiam ſe contulit a C. N. CIↃ IↃCC XXXX, in ciuibus noſtris ſcriptus rectore Kappio. In recte legendis interpretandis que eruditae antiquitatis monumentis recitationes audiuit meas atque Erneſtii: in philoſophia, Menzii, Vuincleri, Cruſii, Birnobaumi: in hiſtoria diſcenda, Ioecheri et Kappii. Orientis et ſacrarum litterarum cauſſa ſectatus eſt doctores, Boernerum, Klauſingium, Deylingium, Tellerum, Hebenſtreitium, Sankium. Quorum omnium in ſe merita gratus agnoſcit. Prima philoſophiae laurea ex decreto ordinis noſtri exeunte anno ſuperiore cohoneſtatus eſt.

IOHAN-

IOHANNES CHRISTIANVS LEVSCHNER

GALENTIA MISNICVS

Galentia prope Fribergam vrbem in Hermunduris, quae nunc montana ſunt Miſniae, ad occidentem, verſus praetorium clariſſimum, cui a conditore Auguſtusburg nomen manſit, vicus eſt. Ibi natus a C. N. CIↃ IↃCC XVIIII, patre vtitur Ieremia, qui praeterquam quod rem familiarem honeſte curat, vectigalibus regiis exigendis praeeſt: matre, Maria Bernardia. Litterarum rudimentis vt ad doctrinam informaretur, in gymnaſio Fribergenſi meruit, ſub magiſtris Mollero, Luthero, Harzbachio, Beiero, Gebhardis: quorum omnium, et praeſertim Molleri rectoris, fidem ac dexteritatem gratus laudat. Cum in re tenui eſſet, plurimum ſibi profuiſſe ait fauorem ac beneuolentiam Vuiliſchii ephori collegio ſacris faciundis, et ſenioris in eo Vuaegeri, et Rami. Deinde contubernalem in muſeo factum equeſtri genere adoleſcentis a Leipziger, coepiſſe ſe gratia ac liberalitate illuſtris Schonbergiorum gentis ſubleuari. Lipſiam petiit a C. N. CIↃ IↃCC XXXVIIII, in ciuibus noſtris cenſus rectore Richtero, atque inter nos ſic eſt verſatus, vt in philoſophia quidem omni, atque in capitibus eius ſigillatim, proficeret e praelectionibus Vuincleri, nunc rectoris magnifici, et Chladenii, qui Coburgum ad gymnaſium celebre regendum ſuperiore anno euocatus eſt, et Hebenſtreitii, qui metaphyſicam veterem, quam ſcholaſticorum vocant, traderet. In mathematica addiſcenda ſectatus eſt Hauſenium, ac rurſus Vuinclerum et Schulemanum: hiſtoriae omnis cauſſa annis quatuor, Ioecherum: rei litterariae et ſacrorum tempora et vices vt diſceret, Menzium et Beierum. Humanitatis vero litteras vt pernoſceret, Kappium et Erneſtium, meque, vt memini, ſedulo audiuit aliquot annis enarrantem ſcriptores primarios, Plautum, Suetonium, Tacitum, Horatium. Hebraicas eum litteras docuerunt Hebenſtreitius ac Boſſeccius: rhetoricam, Schelhaferus: theologiam, qua dogmata tradit et confirmat. Klauſingius, Vueiſius, Tellerus, Ramus; qua recte interpre-

tandi legem docet, rursus Tellerus ac Deylingius; qua mores, et qua oratorem de suggestu futurum informat, etiam Tellerus, cuius eximiam in se voluntatem grato animo praedicat. Vt ingenii facultatem per colloquia academica disputando exploraret atque acueret, capita doctrinae ventilauit praeeuntibus Vuinclero et Hebenstreitio, a quo beneuolenter se tractatum atque in societatem Φιλοσυζητούντων receptum memorat. Anno superiore necessitatem legis diuinae per oracula sacri codicis reuelandae aduersus leuitatem quorundam propugnauit oratione habita in aede diui Pauli nostra. Quibus rebus cum meruisset, vt prima philosophiae laurea superiore anno exeunte, ex decreto ordinis nostri, ornaretur, in ea panegyri carmen Graecum recitauit. Hospitio viri sibi beneuolentis eiusque inter Iurisconsultos huius vrbis clari, Nauendorffii, cuius in se propensam voluntatem gratus agnoscit, ad hunc diem recte vtitur, eiusque filios litteris et doctrina instituendos suscepit.

CHRISTIANVS FRIDERICVS OECHLIZ
L I P S I E N S I S

Natus a C. N. CIↃ IↃCCXXIII, patrem habuit Iohannem Christianum, mercatorem in hac vrbe, matrem, Rahelem Elisabetham, Godofredi Ottonis, senatoris quondam Lipsiae, filiam. Cum ab ineunte aetate litterarum rudimenta domi ab idoneis praeceptoribus didicisset, in ludum ad aedem diui Nicolai receptus, profecit sub magistris bene merentibus, Drechslero, Ortlobio, Haltausio, Homilio, annis quinque. Ad academiam accessit a C. N. CIↃ IↃCC XXXX, census inter nostros rectore Hommelio, et humanitatis litterarum, ac philosophiae, et matheseos caussa sectatus est doctores, Gottschedium, Hausenium, Ioecherum, Menzium. Inprimis vero ex Hausenii institutione plurimum profecisse, eiusque manibus grato animo se obstrictum esse, profitetur; namque et fauore eius, et libris, et multiplici consilio vsum fuisse. Secundum ea superiore anno exeunte primam philosophiae lauream ex decreto ordinis nostri tulit, et his ipsis diebus dis-

sertatio-

fertationem, *de apparentiis anuli Saturni*, fub praefidio Heinfii, qui in locum Haufenii ex merito fucceffor dictus eft, publice defendit.

CHRISTLIEB TRAVGOTT BIERLING

LVPPA MISNICVS

Luppa Offitio adfcriptus in via regia, qua hinc Drefdam itur, vicus eft. Ibi natus a C. N. CIƆ IƆCC XX, patre vtitur Iohanne Chriftophoro, artium magiftro, qui facris faciundis praeeft; matre Sophia Dorothea, Iohannis Godofredi Moffdorffii, qui artem medicam Palaeopoli cum laude doctor exercuit, filia. Litterarum elementa et facrorum lineas eum pater docuit, et priuatim etiam praeceptor datus Ioh. Godofr. Rudolphius, artium magifter, et nunc facris curandis in vico Thuringiae, cui vocabulum Pfuhlsborn, praefectus. Ab anno a C. N. CIƆ IƆCC XXXIIII, in ludo litterario Cremae fub magiftris Ermelio, Schumachero, Parskio, Vlifchio, Opitio, Hauptio, meruit, litterisque humanitatis, multa eorum fide atque induftria, operam nauauit. Lipfiam acceffit a C. N. CIƆ IƆCC XXXX, rectore Kappio in noftris adfcriptus, ac beneficiis et beneuolentia reu. Boerneri plurimum vfus. Doctores habuit in omni philofophia, in vfu logicae fpeciatim, in theologia ex natura repetenda, in ftilo Theotifcis litteris exercendo, Vuinclerum, nunc rectorem noftrum: in phyfica, Menzium: in omni hiftoria, Ioecherum: in hiftoria facrorum Schoenium: in poeticae praeceptis ex Horatio cognofcendis, me praelectionibus Venufinis. Se praeterea fcholis Chladenii, et Kaeftneri artium magiftri non fine fructu interfuiffe ait. Cum ad rerum diuinarum ftudia acceffiffet, in litteris Hebraicis, praeter aliorum priuatam in fe operam, fectatus eft Hebenftreitium; in moribus facrorum e fententia, et in declamandi praeceptis et vfu, vt futurus e fuggeftu orator informaretur, quo multo fuo commodo fe vti fatetur, Tellerum: in reliqua theologia, Boernerum, Deylingium, Klaufingium, Vuollium. Superioribus annis quaedam coacta eft fodalitas, quae fuper anima brutorum difputata fcriptis publicaret, quorum in numero fe

quoque commentando ingenium exercuisse ait. Sic versatus in studiis litterarum cum fuisset, anno superiore exeunte prima ipsi philosophiae laurea decreta est ab ordine nostro.

IOHANNES AVGVSTVS BACHIVS

HOHENDORPIO MISNICVS

Hohendorpium vicus, tracto nomine a quodam cliui supercilio, in quo positus est, prope Lucam, Sueuorum olim insigni clade nobilitatam, sub iure conuentus Lipsici, in confinio agri Palaeopolitani, habetur. Ibi natus noster a C. N. ciɔ iɔcc xxi, patre Iohanne, artium magistro, et sacrorum eius pagi curae praefecto, matre, Anna Dorothea, Iohannis Schumani, qui idem sacris faciundis munus Custricii quondam gesserat, filia. Prima quidem tirocinia in litteris, quibus informari ad humanitatem aetas puerilis solet, domi posuit, patre eam in rem auctore et praeceptore fidelissimo. Confirmatior deinde Lipsiam in ludum litterarium curialem ad aedem diui Thomae deductus est a C. N. ciɔ iɔcc xxxiiii, inque eo munificentiae publicae alumnus meruit sub magistris, Ernestio, Krigelio, Vuinclero: quorum fidem ac dexteritatem impense laudat, aitque illius, ludi eius rectoris, voluntate inprimis, et eximio studio, cum ibi, tum in academico stadio, se plurimum fuisse vsum, gratique animi ac paene pietatis hoc testimonium commemorando extare velle. Ad academiam accessit a C. N. ciɔ iɔcc xxxx, in nostrorum catalogis scriptus rectore Gottschedio. Sectatus autem fuit mathematum caussa, Baermanum: in quodam totius philosophiae orbe cognoscendo, in stili praeceptis, in ingenio per colloquia academica acuendo, in historia catholica, in antiquitatum doctrina, Ernestium: in historia et litteraria, et rei Germanicae ciuili, Mascouium vtrumque, Ioecherum, meque: in physicis, Menzium, cuius in se singularem semper extitisse fauorem ait. Iuris prudentiae studia cum capessiuisset, audiuit Mascouium rursus vtrumque, quorum in se beneuolentiam praedicat, et Hommelium, Bauerum, Sigelium, Cramerum, Feustelium.

ftelium. In contubernium praeterea domus Stigliziae benigne adſcitus, cum nutritii ſui, viri grauiſſimi et hoc anno conſulis, fauorem, tum amicitiam filii eius maioris, cui ſtudiorum ſocius fuerat additus, laudat. Eadem lege in domum Hohenthaliam, in qua adhuc honeſtam operam praeſtat, poſtea conceſſit, e que ea profecta ad ſe ornamenta grato animo agnoſcit. Publice e cathedra defendit diſſertationes duas, alteram *de modo appellandorum apud veteres Romanos regum*, atque alteram *de ſupplicio plumbatarum*, Kuſtnero ac Vuinclero, artium tum magiſtris, moderantibus. Sub exitum anni ſuperioris e decreto ordinis noſtri prima philoſophiae laurea ornatus eſt, ea que in panegyri, cum renunciarentur, gratiarum actionem praeſentibus recitauit carmine elegiaco Latino.

CHRISTIANVS BECK

HIRSFELDA MISNICVS

Hirsfelda agri Lipſici vicus eſt. Eius pagi cum inter colonos eſſet pater, hunc filium ſibi cognominem ſuſcepit ex vxore Eliſabetha a C. N. CIↃ IↃCC XVI. Quem eductum in re tenui litterarum ſtudiis non permitteret, niſi auctor et adiutor acceſſiſſet Merlinus, qui ſacrorum curam gerebat Baalodorpii. Eum enim in vicum domicilium poſtea tranſtulerat pater. Itaque Lipſiam venit noſter commendante ſedulo Merlino, et in ludo curiali ad aedem diui Thomae publicae liberalitatis alumnis adſcriptus, meruit ſub magiſtris, Geſnero, Krigelio, Vuinclero, Dreſigio, atque in primis Erneſtio, cuius beneuolentiae plurimum ſe debere grato animo profitetur. Ad academiam verſus, et in catalogo ciuium noſtrorum ſcriptus, doctores habuit in litteris Graecis Latinis que, et in philoſophia diſcenda, Erneſtium, Birnbaumium, Cruſium: in hiſtoria cum catholica et litteraria, tum rei Germanicae ciuili, Ioecherum: in ea, quae ſacrorum inſtauratorum rationes edit, Kappium: mathematum cauſſa, Baermanum: phyſicae per experimenta firmandae, Vuinclerum: Hebraicis in litteris, Hebenſtreitium et Boſſe-

 ckium.

ckium. Ad theologiam conuerſus ſacrorum dogmata didicit praeeuntibus Klauſingio, Tellero, Vueiſio: libros ſymbolicos, enarrante Boernero: recte interpretandi diuina leges, et mores e ſacrorum ſententia formandos, Tellero: futuri muneris prudentiam, Deylingio, cuius inſignia in ſe extitiſſe beneficia memorat. Ingenii per colloquia exercendi cauſſa ſub Hommelio iuniore priuatim velitatus eſt, eiusque in ſe voluntatem agnoſcit. Inter Erneſtii praeclara in ſe merita putat, quod in domum Platneriam benigne adſcitus, et patrisfamilias liberalitate, et filii optimae ſpei ingenio, quem erudiendum litteris recepit, adiuuatur.

IOHANNES GOTTLIEB HERMANN

PLAVIA NARISCVS

Plauia Nariſcorum, qua regi noſtro parent, caput eſt. Ibi natus a C. N. CIↃ IↃ CC XXII, patrem habuit Iohannem Georgium, Ciza oriundum, ſacrorum agri et vrbis Plauiae antiſtitem; matrem, Mariam Sophiam Eiſentrat, Sulae ad ſaltum Thuringicum natam. In domo patris primum priuatim eſt inſtitutus a praeceptoribus Lothio ac Reiſigio, quorum ille ad ſacrorum, iſte ad ludi curam, poſtea ſunt vocati. Deinde in ludo litterario patriae profecit ſub magiſtris, Irmiſchio, Grimmelio, Franckio, Hermanno, quem poſtea ſucceſſorem patris factum de ſtudiis ſuis praeclare meruiſſe ait. Mox orbatus parentibus, ſub tutela Ruderti, regii eo in conuentu rationalis, conuictor Irmiſchii, qui ludum regeret, multa eorum beneuolentia egiſſe, gratus memorat. Lipſiam venit a C. N. CIↃ IↃ CC XXXXI, adſcriptus noſtris rectore Klauſingio. Sectatus eſt hic, philoſophiae ac matheſeos cauſſa, Vuinckleum: vt theologiam diſceret, qua dogmata tradit, qua interpretatur ſcripta, qua mores format, qua declamandi vſum praebet, Vueiſium ac Tellerum: in his atque reliquis, Deylingium etiam ac Boernerum. Hebraicae litteraturae in ſtudiis vſus eſt Hebenſtreitio, a quo etiam in controuerſiis rerum ſacrarum profecit, et in antiquitate Iudaeorum cognoſcenda, atque

atque adſcitus eſt in ſocietatem φιλοσυζητούντων. Hiſtoriae cauſſa Ioecherum adiit. In reliquis ſe magnopere adiutum fuiſſe conſiliis Maſcouii et Cruſii affinis ſui ait.

IVSTVS CHRISTIANVS GRABENERVS

MISENA MISNICVS

Natus Miſenae a C. N. CIↃ IↃCC XX, patre vtitur Theophilo, artium magiſtro et rectore ludi ad diuam Afram in ea vrbe litterarii: matre, Anna Dorothea, Adami Boehmeri, qui ſacris faciundis ad aedem diui Iacobi Fribergae praeeſſet. Rudimentis litterarum inſtitutus eſt a fratre germano, qui ludum litterarium Dreſdae regit, et a conſobrino Heegio, qui in vico Thuringiae Altengottern ſacra curat. Ab his reuerſus ad vrbem patriam, in principalis munificentiae ad Afrae ludo, cui pater, poſtea praefectus eſt, meruit ſex annis, ſub magiſtris, Martio, Silligio, patre ſuo, Hoerio, Vueiſio, Kauderbachio, Klimmio. Lipſiam acceſſit a C. N. CIↃ IↃCC XXXXI, noſter factus rectore Klauſingio. Doctores hic habuit, philoſophiae, Mullerum, Menzium, Birnbaumium: hiſtoriae philoſophicae, Ioecherum: Hebraicae litteraturae, Boſſeccium: theologiae, Boernerum, Klauſingium, Deylingium, Tellerum, Vueiſium, Sankium, Boſſeccium, quo etiam praeeunte ad quaeſita reſpondendo, et colloquiis diſceptando, ingenium exercuit. Prima philoſophiae laurea ornari ab ordine noſtro nuper meruit.

IMMANVEL ERNESTVS HERTEL

KIRCHBERGA MISNICVS

Kircobergae, quo nomine inter Niuemontium et Cygneam in montanis Miſniae non magnum opidum eſt, natus a C. N. CIↃ IↃCC XXI, patrem habet Iohannem Chriſtianum, qui chartis lineis, quarum hodie vſus eſt magnus, nitide conficiendis operam nauat, eoque artificio ſe et familiam alit. Matrem habuit Chriſtianam Rietſchiam ex eo partu exanimatam.

tam. Poſt rudimenta rei Chriſtianae percepta in ludo litterario Niuemontano, rectoribus Dopperto ac Hoffmano, ſex annis meruit: mox annis quatuor ad Salinas Saxonum, in ludo ſuburbano, vnde pueritiae orborum alimenta praebentur. Ibi cum litteris Latinis, Graecis, Hebraicis et Chaldaicis, tum Hiſtoriae, antiquitatibus et mathematicae ſe operam dediſſe ait. Lipſiam venit a C. N. CIↃ IↃCC XXXXI, ius ciuitatis noſtrae adeptus rectore Klauſingio. Doctores inter nos ſectatus eſt, humanitatis litterarum cauſſa, Erneſtium et Gottſchedium: in philoſophia omni, Mullerum, et in primis Cruſium, cui etiam ſacrorum et dogmata et mores, et interpretandi leges, et oratoriam docenti adfuit, eiusque in ſe fidem ac voluntatem gratus agnoſcit et impenſe laudat. In hiſtoria cognoſcenda audiuit Ioecherum ac Deylingium, artium magiſtrum: in litteris Hebraicis Hebenſtreitium et Sankium: in theologia, qua dogmata docet ac defendit, Vueiſium, Tellerum, et rurſus Hebenſtreitium, Cruſiumque; qua libris ſymbolicis nititur, Boernerum; qua recte interpretandi leges rogat, Tellerum, et Klauſingium; qua futuri muneris prudentiam reſpicit, Deylingium. Ea omnia ſe vſu quoque exercuiſſe praeeunte Cruſio memorat, quamobrem etiam quaeſtionibus et colloquiis ingenium exploraviſſe, ſub Deylingio et Klauſingio, cuius prolixam in ſe voluntatem, vt parentis, ſuſpicere. Superiore anno exeunte prima philoſophiae laurea ordinis noſtri decreto eſt cohoneſtatus.

CHRISTIANVS FRIDERICVS KRAVSIVS

DELITIO MISNICVS

Natus Delitii, quod agri bonitate aliisque nominibus claret opidum, a C. N. CIↃ IↃCC XXI, patre Andrea, mercatore, et matre Chriſtina Dorothea Krauſia. Vtroque parente orbatus infans ab illa aetate innumerabilia prouidentiae numinis veſtigia in ſe conſeruato ait deprehendiſſe. Poſteaquam prima litterarum rudimenta didiciſſet in patrio ludo, rectore Friderici, ad Portenſem tranſiit, ibique principalis munificentiae alumnus

alumnus sex fere annis meruit, magistris vsus Freytagio, Vualthero, Stubelio, Hentschelio, Geislero, Vueidnero, Haymano et Hubschio, quorum omnium beneuolentiam ac fidem gratus agnoscit ac praedicat. Lipsiam accessit a C. N. CIↃ IↃCC XXXXI, census in nostris rectore Ioechero. Inter nos sectatus est doctores, vt Graecas Latinasque litteras perdisceret, me quidem sedulo et Ernestium, cuius iudicio cum ornaretur, in domum Stigliziam, doctis hominibus praesertim amicam, se receptum fuisse, in que ea liberaliter haberi, memorat. Eius quoque praelectionibus historiae catholicae et antiquitatum cognoscendarum caussa: ob ciuilis historiae notitiam, Ioecheri; rhetoricis Gottschedii; mathematicis Hausenii; philosophicis maxime Crusii interfuit: cui adfinitate sibi iuncto, quod et contubernalem se adsciuisset, et plurima sibi benigne contulisset, propterea animum obstrictum profitetur. Sacrarum litterarum in studiis eo quoque magistro vsus est, et Boernero, Deylingio, Vueisio, Vuollio: in Hebraeorum litteris, Sankio. Superiore anno Crusii praeceptoris sui librum de principio rationis determinantis, quae vulgo sufficiens dicitur, Theotisce versum denuo edidit, et scholiis ac tabulis indicibus adornauit. Mox Ziegrae artium magistri dissertationem de mundo optimo publice defendit. Secundum quae ei nuper primae laureae honos ab ordine nostro est decretus.

CHRISTIANVS FRIDERICVS HVBLERVS

OLSNITIO NARISCVS

Olsnitio in Nariscis, qua regi nostro parent, opido, haud procul abest in orientem hibernum, velut ipsum distat Plauia, vicus Arnoldigrun. Ibi natus a C. N. CIↃ IↃCC XXI, patrem habuit cognominem, artium magistrum, et sacrarum litterarum eo in agro interpretem: matrem autem, Christinam Rosinam Meyeriam. Ab eis parum ad ipsum, praeterquam honesti nominis hereditas, peruenit, cum res auitae afflictae essent, eiecto e muneribus, atque e patria Boiohemia, propter sacrorum integritatem defensam, eo, a quo descenderat. Lit-

terarum rudimentis informatus in domo patris, mox in ludum huius vrbis ad aedem diui Thomae curialem adſcitus, annos ſeptem in eo ſtadio exegit, ſub magiſtris, Erneſtio, Hulſio, Krigelio, quorum voluntatem laudat ac fidem. Interea cum pater ipſius e viuis exceſſiſſet, ad academiam tranſiit a C. N. CIƆ IƆCC XXXXII, ciuium numeris inſertus rectore Boernero. Hac vero in vrbe plurima in ſe bona prouidentia numinis benigni extitiſſe agnoſcit, in eisque voluntatem praeclaram patrui ſui Hubleri, qui reditus regis noſtri procurat, magno ſuo emolumento eminuiſſe. Praeceptoribus hic vſus eſt in philoſophia diſcenda, Menzio, Mullero, Birnbaumio: in humanitatis litteris, me quidem atque Erneſtio; in dicendi facultate, rurſus Birnbaumio; in artificio diſputandi quaeſita per colloquium, Deylingio, Menzio, Hommelio: in hiſtoria ſacrorum, Vuollio: in hiſtoria catholica, philoſophiae, et rei Germanicae ciuili, Ioechero: in antiquitate Hebraeorum cognoſcenda, Hebenſtreitio: in litteratura Orientis, Sankio et Boſio: in theologia, Deylingio, Tellero, Vuollio, Vueiſio, et inprimis Boernero, quo auctore orationem in aede diui Pauli, *de Originibus feſti Pentecoſtes*, publice habuit; et diſſertationem propoſitam, *de Decuriis iudicum Romanorum*, moderante Krebſio artium magiſtro, publice defendit. Itaque anno ſuperiore exeunte philoſophiae Baccalaureus ordinis noſtri decreto eſt adpellatus.

IOHANNES THEODORVS LINGKIVS

TORGAVIA SAXO

Natus Torgauiae a C. N. CIƆ IƆCC XX, patre Iohanne Mauritio, qui tunc praefecturae eius vrbis praeerat, nunc reditus regios curat Cizae; matre, Dorothea Catharina, Stisſeri, conſiliarii procurationum Brandeburgici, filia, litterarum rudimenta in domo patris didicit ſub magiſtris, Kuhnſchaerfſio, Franckio, Mullero, et, cui plurimum ſe debere fatetur, Richtero, poſtea ad curam ſacrorum Niemecam vocato. In ludum poſtilla principalem Portenſem miſſus, magiſtros habuit

buit, Freytagium, quem inprimis laudat, Vualtherum, Schrammium, Stubelium, Hentſchelium, Geislerum, Vueidnerum, Heumanum. Ibi cum ſex annis fuiſſet, Vitebergam adiit, audiuitque philoſophiae cauſſa recitationes Hanitſchii artium magiſtri, humanitatis litterarum in ſtudiis, Bergeri, in hiſtoria doctrinae diſcenda, Spierii, in hiſtoria ſacrorum, Vuernsdorffii. Theologiae diſcendae cauſſa ſectatus eſt, Zeibichium, Hofmanum, Vueickmanum, Hafferungium, Bauerum, et rurſus Spierium. Praeſertim Hofmani in ſe voluntatem et beneficia gratus praedicat. Lipſiam ſe conuertit a C. N. CIƆ IƆCC XXXXII, in ciuitate noſtra cenſus rectore Boernero. Inter nos Graecas Latinasque litteras vt perdiſceret, doctores habuit, Vuinclerum, me et Erneſtium: philoſophiae cauſſa, Mullerum: in hiſtoria rei litterariae, Menzium et Kappium: in aliis hiſtoriae partibus, Ioecherum: in hiſtoria ſacrorum recentiore, rurſus Kappium, cuius in ſe beneuolentiam laudat: in matheſi et phyſica, rurſus Vuinclerum: in oratoria, Gottſchedium. Theologiae in ſtudio ſecutus eſt, Boernerum, libros ſymbolicos et alia enarrantem, cuius fidem grato praedicat animo: Tellerum, mores e ſacris docentem: controuerſias, litteraturam Chaldaicam, metaphyſicam veterem interpretatum, Hebenſtreitium; cui ſe fatetur debere multa. Klauſingio, ac Deylingio, et Vueiſio praeeuntibus, ingenio per quaeſtiones et colloquia academica acuendo operam dedit, ac Deylingio de prudentia futuri muneris dicenti, enarrantique epiſtolam Pauli ad Hebraeos, adfuit. Sub Telleri doctrina etiam declamando ſe exercuit, ab eo in ſocietatem φιλολογούντων adſcitus, prolixa eius ſe in multis voluntate vſum memorat. Secundum ea ſuperiore anno exeunte Philoſophiae Baccalaureus ab ordine noſtro dictus eſt.

LVDOVICVS GVILIELMVS IVNIVS

L I P S I E N S I S

Natus in hac vrbe a C. N. CIƆ IƆCC XXIIII, patrem habuit Vlricum, mathematum academiae atque ordinis noſtri

 Profeſ-

Profefforem publicum: matrem habet, Chriftianam Eleonoram, Friderici Beniaminis Iacobi, fenatoris Lipfiae praetorii filiam. Patre orbatus, cum ad pueritiam nondum acceffiffet, domeftica inftitutione praeceptorum eft vfus, e quibus laudat operam Schmeifferi et Kohlii, qui ad curam facrorum poftea vocati funt. Mox ad ludum prouidentiae principalis Portenfem adductus, fex ibi annis meruit fub magiftris, Freytagio, Vualthero, Stubelio, Hentfchelio, Geislero, Vueidnero, Haymano, Hubfchio: quorum induftriam ac fidem laudat. Lipfiam redux factus a C. N. CIↃ IↃCCXXXXI, ad academiam fe conuertit, cenfus in tabulis ciuium rectore Klaufingio. Scholas noftrorum adiit philofophiae omnis difcendae cauffa, Mulleri: ftili Latini exercendi, Kappii: vt hiftoriae notitiam haberet, Ioecheri: vt poeticae rationes ex antiquorum litteris perfpiceret, praelectiones in Plautum meas, atque Erneftii in Callimachum: Menzii vero, cuius beneuolentiam praedicat, in diurna rei litterariae fermones. Cum ad facras litteras animum adieciffet, doctores habuit, qua dogmata cognofcuntur, Vueifium, Sankium, Tellerum, qua interpretandi ratio editur, Deylingium, Vuollium; Boernerum; qua hiftoria facrorum et vices traduntur, rurfus Vuollium; qua mores e fententia facrorum formantur, Klaufingium. Opera Schmidii, qui curam facrorum apud Numburgenfes gerit, et Erneftii fcholis, et Telleri focietate φιλολογούντων, fe adiutum memorat, vt rationem et viam difceptandi quaefita per colloquium teneret. Etiam periculum fcribendi fecit epiftolis publicatis duabus, *de Morte dea* altera, atque altera, *de Cuftodibus fepulcrorum apud Romanos*.

ANTONIVS RVDIGERVS

LIPSIENSIS

Natus in hac vrbe a C. N. CIↃ IↃCC XX, patrem habuit, Andream, medicae artis doctorem, qui philofophiam affidue docendo fcriptisque illuftrando plurimum claruit: matrem habet, Mariam Magdalenam Herbftiam, merca-

mercatoris quondam Lipsiae florentis filiam. Prima litterarum et rei Christianae rudimenta parentum cura priuatim didicit, deinde ad aedem diui Thomae ludo additus sub Hebenstreitio praesertim profecit: mox, patre e rebus humanis erepto, Misenam petiit, vt ibi in principalis munificentiae ad diuam Afram ludo alumnus mereret. Quod factum est annis sex sub magistris, Grabenero, Hoerio, Vueisio, Kauderbachio: quorum omnium in se voluntatem eximiam et fidem laudat. Quo stadio exacto, valedixit sodalitio dissertatiuncula scripta *de dubiis artis physiognomicae principiis.* Lipsiam rediit a C. N. CIↃ IↃCC XXXX, numero ciuium nostrorum insertus rectore Hommelio. Eius et Rechenbergii commendatione factum ait, vt mensae publicae conuictor reciperetur, aliaque in se commoda vt deriuarentur. Philosophiae discendae caussa sectatus est doctrinam Mulleri, amici paterni: in arte medica cognoscenda, Vualtheri, Platneri, Ludeuigii, Hebenstreitii item, et Quelmalzii, et Guntzii, et Schacheri, quorum omnium in se laudat praeclare merita, et Platneri inprimis singularem beneuolentiam. Ludeuigio praeeunte memorat se capita artis controuersa colloquio vtiliter tractasse, et publice sub eo dissertationem defendisse, *de leui post pastum horrore sanitatis signo.* Prouidentia quadam numinis benigni vero, et insperanti sibi accidisse aliquos in aula regis nostri studiorum iuuenilium fautores, venerabilem Marpergerum, et ill. Neidium, quorum beneficia grato animo se agnoscere profitetur.

GEORGIVS AVGVSTINVS ACKERMANNVS

VALDKIRCHA NARISCVS

Non procul Ricobaco opido in Nariscis, ad ortum hibernum, vicus Valdkircha est. Ibi natus a C. N. CIↃ IↃCC XX, patrem habuit Iohannem Fridericum, qui eo in agro sacra diuinorum interpres curabat: matrem habet, Iohannam Elisabetham, Georgii Richteri theologiae doctoris, ac sacrorum Ricobaci Offitii que antistitis, filiam. Rei Christianae ac litterarum

terarum rudimenta pater eum docuit; vſus opera quoque Hoeferi, qui nunc Langefeldae, quae prope abeſt Valdkircha eodem tractu, ludum litterarium regit, et filii natu maioris, Iohannis, artium magiſtri, et nunc pro grege piorum, quem pater ſacris faciundis curauerat, paſtoris. Eius in ſe fidem et merita collaudat. Pater, antequam e rebus humanis euocaretur, Cygneam eum deduxit, vbi in ludo litterario quinque annis meruit ſub magiſtris, Conradio, Brucknero, Vinholdo. Lipſiam venit a C. N. CIↃ IↃCC XXXVIIII, in ciuium noſtrorum numeros inſertus Richtero rectore, auunculo eius. Eo, quoad in viuis eſſet, ſe benigno vſum memorat. Hic philoſophiae diſcendae cauſſa ſectatus eſt, Gottſchedium, Menzium, Maium: in matheſi, auunculum; hiſtoriae in ſtudiis, Ioecherum ſex annis, me que, quemadmodum etiam in litteratura antiquorum, cum Plautum enarrarem ac Suetonium Tranquillum. Litteras Hebraicas eum docuit Hebenſtreitius et Klauſingius: interpretandi diuina leges, Boernerus, Deylingius, Tellerus: mores e ſacris et declamandi praecepta, rurſus Tellerus: prudentiam futuri muneris, Deylingius: Symbolicorum librorum ſententiam, rurſus Boernerus. Eius, et alterius auunculi, Richteri, qui nunc Goettinganae rei profeſſor doctrinae publicae praeeſt, magnopere laudat fauorem ac beneficia. Huius praeſertim liberalitate ſe ait adiutum, vt ſibi aditus ad honores petendos fieret. Quae grato animo agnoſcit ac celebrat. Colloquiis etiam academicis ſub Menzio, ſub Deylingio, exercitus, orationes publice habuit in memoriam Geieri duas, et ſecundum ea in domum Kurzelii, iuriſprudentiae in hac vrbe doctoris, receptus, benigne ſe in ea ibi haberi profitetur.

FRIDERICVS GOTTLOB IACOBI

LIPSIENSIS

Natus in hac vrbe a C. N. CIↃ IↃCC XXV, patre vtitur Balthaſare Friderico, qui artis medicae Doctor hic eam cum laude celebritateque promerita exercet: matre Rahele Doro-

Dorothea Iacobia, mercatoris Lipsiae quondam clari filia. Rudimentis litterarum sacrorumque nostrorum informatus primo eximia parentum cura, sub magistris, Vuenzelio et Apfelstadio, qui postea ad curam sacrorum, mandati gregis quisque pastor, accesserunt. Tribus deinde annis scholis publicis priuatisque interfuit Dresigii, qui ad diui Thomae ludo operam eo tempore locauerat. Ad academiam accessit a C. N. CIↃ IↃCC XXXX, ciuium catalogis inscriptus rectore Gottschedio. Doctrinae caussa sectatus est, vt mathematicam disceret, vt physicam per experimenta declarandam, vt logicam, ac declamandi scribendique artem, maxime Vuinclerum: vt historiae notitiam haberet, Ioecherum: vt rationem et viam cognosceret, qua certanda publice scripta in ludis maioribus fiunt ac proponuntur, Ernestium. Schulemano quoque matheseos caussa se adfuisse ait. Ad artem medicam paterno instituto perdiscendam versus, praeceptores in ea re sibi legit Vualtherum, Platnerum, Hebenstreitium, Ludevuigium et Guntzium: quorum omnium voluntatem ac fidem laudat.

ERNESTVS GOTTLOB BOSE

LIPSIENSIS

Natus in hac vrbe a C. N. CIↃ IↃCC XXIII, patrem habuit Iohannem Iacobum, iuris vtriusque doctorem et ad supremum tribunal iuridicorum conuentus Lipsici caussarum patronum: matrem, Rahelem Carolinam, e gente Vuincleria. Eorum, quibus ambobus superiore tempore orbatus est, cura atque industria idoneis praeceptoribus est traditus, qui litteris et moribus probis informarent, Auenario ac Dresigio, Hagero, Thimio, quorum primus ad sacrorum curam in vico Hohenpriesniz vocatus, oraculorum veritatis aeternae interpres meret; tertius, Hagerus, ludi nunc litterarii Chemniciensis ciuitatis rector. Ad academiam accessit a C. N. CIↃ IↃCC XXXX, in ciuibus eius scriptus rectore Kappio. Doctrinae caussa sectatus est, vt humanitatis litteras et stili Latini

tini naturam difceret, Kappium: vt mathefin ac philofophiam, et fpeciatim phyficam, qua experiundo declaratur, vt rationem et viam difceptandae fuper fcientiae capitibus fententiae, Vuinclerum: vt hiftorias, Ioecherum. Cum ad artis medicae ftudia animum adiecifſet, praeceptores fibi delegit, Vualtherum, Platnerum, Hebenftreitium, Plazium, Ludeuuigium, Gunzium. Epiftolam quoque, cum gratulari amicis quibusdam collatos e philofophiae ftadio exacto honores vellet, *de iure animantium naturali,* fe memorat publicauiſſe.

MARTINVS GOTTLIEB PAVLI

LAVBA LVSATVS

Patrem habet Chriftophorum, ciuitatis Laubanae confulem, de re communi bene meritum, matrem, Annam Rofinam Hilfcheriam. Ex his natus a C. N. CIƆ IƆCC XXI, idoneis primum fub praeceptoribus, quorum fidem laudat, in domo patris profecit. Poftea deductus in Lyceum, quod Laubae curatur, vbi fub rectoribus eius, Boettnero ac Seidelio, eximio vtriusque merito, in litteris artibusque eft inftitutus. Cui fodalitati cum oratione habita, vt mos habet, vale dixiſſet, Lipfiam adiit a C. N. CIƆ IƆCC XXXX, fcriptus in ciuibus noftris rectore Kappio. Doctores hic habuit, in philofophia omni, et figillatim in phyfica, in mathefi, in oratoria, vfuque declamandi fermone vernaculo, cuius prolixam in fe voluntatem gratus laudat, maxime Vuinclerum; etiam in mathefi, Haufenium: in hiftoria catholica, litterarum, philofophiae, Ioecherum: in iurisprudentia difcenda, Mafcouium, Sigelium, Mullerum, Ioachimum; quibus omnibus plurima fe debere profitetur.

IOHANNES GOTTLIEB SCHMID

LIPSIENSIS

Natus in hac vrbe a C. N. CIƆ IƆCC XXII patre Iohanne Michaele, qui grammatifticen et arithmeticam tunc doceret

ceret ephebos, postilla Sceudicium, vt in ludo litterario mereret, vocato: matre Dorothea Vogtia. Litterarum rudimenta eum docuit pater, mox ludus hic ad diui Thomae curialis recepit, vbi sub magistris, Breuningio, Schmiedio, Vuinclero, magno eorum in se merito, ait profecisse. Ex hoc ludo translatus in gymnasium Martisburgense, praeceptores habuit, Kupferum, Hoffmanum, Henckelium. Lipsiam rediit, vt inter ciues nostros esset, a C. N. CIƆIƆCCXXXX, relatus in numeros rectore Kappio. Sectatus est doctores, philosophiae caussa, Mullerum: mathematicae, Schulemanum: metaphysicae, Carpzouium, artium magistrum: linguarum orientis, rursus Schulemanum, Bosium et Sankium. Theologiae rationes vt disceret, adiit, qua legem interpretandi, Boernerum ac Tellerum: qua mores format, rursus Tellerum ac Sankium: qua declamandi tradit vsum, etiam Tellerum; et qua muneris capessendi prudentiam, Deylingium. In disceptando per colloquia se exercitum memorat Kieslingio praeeunte.

FRIDERICVS GVILIELMVS SACHSIVS

LICHTENSTEINA MISNICVS

Non procul Cygnea ad orientem aestiuum abest arx cum opido paruo olim clara, cui vocabulum Lichtenstein. Ibi sacris curandis iam nunc vltra quinquagesimum annum interpres oraculorum praeest, Iohannes Samuel, pater nostri, qui ex vxore, Sophia Christiana Marcia, cuius pater ludum litterarium Vualdeburgi rexerat, hunc filium suscepit a C. N. CIƆIƆCCXX, Posteaquam litterarum et rei Christianae rudimentis eum pater instituisset, Palaeopolin in gymnasium datus est, vbi sub magistris, Moerlino, Vuebero, Gsuuendio et Meyero, quorum fidem laudat, profecit annis octo. Lipsiam concessit a C. N. CIƆIƆCCXXXX, in ciuibus nostris census rectore Kappio. Doctores hic habuit in philosophiae studiis, Mullerum: in Orientis litteratura, Sankium et Bosseccium: in theologia, qua dogmata tradit, Vueisium et Cru-

 sium

ſium; qua legem interpretandi docet, et oratorem futurum inſtruit, et mores informat, Tellerum. Ingenii per quaeſita explorandi, et colloquiis academicis acuendi, rationem habuit praeeunte Deylingio: quorum omnium beneuolentiam praedicat. His rebus meruit, vt in domum Hanſeni, ſenatoris et mercatoris in hac vrbe, reciperetur ad ſtudia filiorum eius regenda, cuius nutritii ſui propenſam voluntatem laudat.

CHRISTIANVS FRIDERICVS IVNGERVS

CHEMNITIO MISNICVS

Natus Chemnitii a C. N. CIↃ IↃ CC XXIIII, patre Friderico, mercatore: matrem habet, antiſtitis ibi ſacrorum faciundorum, quem Archidiaconum ſolent vocare, filiam. Ab his vt litteras diſceret traditus eſt ludi patrii curam gerentibus, Mullero, Beilio, Franckio: quorum magiſtrorum ſub diſciplina annis aliquot profecit. Lipſiam acceſſit a C. N. CIↃ IↃCC XXXXI, cenſus in noſtris rectore Klauſingio. Doctores inter nos ſectatus eſt in philoſophia diſcenda, Erneſtium; in re litteraria, et in poeſi veterum ſecundum recitationes Plautinas ac Venuſinas pernoſcenda, me auditor inter frequentes: in ſtili Latini praeceptis arripiendis, Kappium: in exercendo ſtilo, Erneſtium, quo etiam praeeunte atque enarrante cognitionem rei Romanae antiquariam parare ſibi, et intellegere Callimachum, Ciceronis de officiis libros, et epiſtolas Plinii, allaborauit. Theologiae operam daturus, qua dogmata audiuit Vueiſium et Cruſium: qua leges interpretandi, Deylingium, Tellerum, ac rurſus Cruſium: qua declamandi vſum, Tellerum: qua morum e ſacris formam, Cruſium: in Hebraicis denique litteris diſcendis, Hebenſtreitium: in iure ſacrorum, Bornium.

FRIDERICVS ADOLPHVS LVDWIG

LENGEFELDA MISNICVS

Patre Iohanne Henrico, qui ſacrorum interpres et crediti gregis paſtor Lengefeldae, in montanis Miſniae, meret, matre